



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 1. Quid sit propositio, & quotuplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

platio, restrictio, distractio, alienatio, diminutio; remotio, & appellatio. Quarum omnium explicatio eò tendit, ut innotescat, quo sensu unusquisque tenetur, præsertim communis accipiat. Hoc tamen sufficienter ex circumstantiis innotescit, quin opus sit tot vocabulis, totque regulis sub eis contentis audientis, siue legentis mentem obruere. Ob id eas omitto apud tumultistas videndas.



DISPUTATIO XIX.

De propositionibus.

PROPOSITIONES tum obiectivæ, tum formales, æque tum mentales, tum vocales, aut ore prolata, aut scriptæ, quæ veluti materia sunt, vnaqueque suo modo, ex quâ omnis scientia humana compingitur, materia sunt etiam non ex quâ, sed circa quam disputatio præsens versatur.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit propositio;
& quotuplex.

Propositio (quam aliqui enunciationem appellant) ex Aristot. libr. primo, Periherm. capit. quarto, sic definitur solet: *Est oratio, in quâ verum, vel falsum est.* Tum ex eodem libr. primo, Prior. capit. primo, *Est oratio aliquid affirmans, vel negans.* Melius tamen alij, ut fugiant in definiendo disjunctionem distinguentem potius species definiti, ipsi in illas diuidentem, quàm explicantem ipsius naturam talibus speciebus communem, ita definiunt: *Est oratio enuntians aliquid de aliquo, id est, suadens aliquid de aliquo, siue alicuius de aliquo suavia ex suo proprio modo tendendi.* Hoc namque, & omni propositioni est commune, & eam sufficienter discriminat ab omni non propositione. Ex quibus definitionibus (quarum prima descriptiva, secunda autem, & tertia quiditativæ censentur, vnaqueque suo modo) satis superque apparet, quid sit propositio formalis, vocalis, & scripta, aut etiam mentalis. Propositio autem obiectiva aliud non est ab obiecto propositionis formalis.

Iam verò propositio, formalis sumpta vniuersè primò diuiditur in affirmatiuam, quæ affirmando ponit aliquid in rebus, ut *Petrus currit*; & negatiuam, quæ remouet aliquid negando, ut *Petrus non legit*. Quarum vtraque rursus, aut erit vera, si sit conformis suo obiecto, aut erit falsa, si sit difformis, iuxta dicta latè de veritate, & falsitate propositionum. tum formalium, tum obiectiuarum *supra disputatione tertia.* Quæ ad rem videnda. Propositionum quippe obiectiuarum aliæ veræ sunt veris for-

malibus correspondentes; aliæ falsæ correspondentes falsis formalibus: sicut etiam aliæ sunt positivæ correspondentes formalibus affirmatiuis, aliæ negativæ correspondentes negatiuis formalibus.

Deinde, propositio formalis sumpta etiam 4 vniuersè in absolutam, seu categoricam, & conditionatam, seu hypotheticam est diuidenda. Prima est, quæ absolute enuntiat aliquid de aliquo, ut *Petrus currit*; *Petrus non legit*. Secunda, quæ sub aliquâ conditione, siue sub aliquâ factâ hypothesi enuntiat aliquid de aliquo, ut, *si Petrus curreret, moueretur*; *si Petrus non videret, non legeret*. Vtraque autem rursus in simplicem, & complexam diuidenda venit. Simplicem dico, quæ ex pluribus propositionibus non est composita, ut cernitur in exemplis positis. Complexam autem appello, quæ ex pluribus propositionibus composita est, ut cernitur in his: *Petrus currit, & Ioannes ambulat*; *si Petrus curreret, Petrus moueretur, & Ioannes carneret*. Complexa verò propositio rursus diuiditur à Logicis in copulatiuam, causalem, & rationalem. In multisque alias æquali rure diuidi posset, atque etiam in mixtas ex illis, combinatione factâ. Copulatiua est, quæ plures propositiones, seu categoricas, seu hypotheticas coniungit per particulam &, aut æquiualem, ut in exemplis positis. Disiunctiua, quæ plures pariter disiungit mediâ particulâ *vel*, aut simili, ut *Petrus currit, vel Ioannes legit*; *Si Petrus curreret, Ioannes gauderet, vel non gauderet*. Causalis est, quæ mediâ particulâ *quia*, vel æquiualente indicat, obiectum vnius propositionis esse causam obiecti alterius, idque, vel categoricè, vel hypotheticè, ut: *Quia Petrus currit, mouetur*; *Si Petrus curreret, quia curreret, moueretur*. Rationalis denique est, quæ mediâ particulâ *ergo*, vel simili indicat obiectum vnius propositionis sequi ex obiecto alterius; id tamen solum evenit categoricè, ut, *Petrus currit: ergo mouetur*. Aliæ autem innominatæ diuersæ à prædictis huiusmodi sunt: *Dum Petrus legit, Ioannes audit*; *Quandiu Petrus laborat, Ioannes quiescit*; *Vbi est magister, ibi est discipulus*; sicut *vnus ambulat, ita, & alter*; Et similes. Adde, hypotheticam propositionem trifariam posse esse complexam; idque, vel copulatiuè, vel disiunctiue, vel causaliter, vel mixtè. Primo, ex parte conditionati tantum, ut in exemplis *supra* positis. Secundo, ex parte conditionis tantum. Tertiò, ex parte vtriusque. Quod hypotheticarum complexarum plurimæ aliæ species pullulant.

Scio: Logicos communiter aliter diuidere propositionem in categoricam, & hypotheticam. Eam enim solam categoricam dicunt, quam nos categoricam simplicem appellauimus: sub hypothetica autem comprehendunt tum dictam à nobis simplicem hypotheticam; tum quatuor complexas *supra* relatas coalescentes ex categoricis, copulatiuam scilicet, disiunctiuam, causalem, rationalem. Aliarum autem complexarum mentionem non faciunt. Cæterum diuisioni à nobis factæ prorsus videtur standum: quia Logici in suâ peccant dupliciter. Primò: quia vocabulo *hypothetica* abutuntur, utpote, quod solum dicitur proprie de conditionatâ; secus de reliquis. Secundo: quia diminutè procedunt, cum

Disp. XIX. De propositionibus. Quæst. I. 111

cum tot species propositionis complexæ commemoratas à nobis penitus prætermittant. In quod peccatum non semel incidunt, cum alias præterea prætermittant propositionum diuisiones.

6 Etenim propositio conditionata, siue hypothetica proprie dicta aliter diuidenda venit in causalem, illatiuam, & purè coniunctiuam, prout *suprà disp. 2. quæst. secunda, diuis. 6.* tactum est. Purè coniunctiuam dicitur, quā enunciatur conditionatum, vt coniunctum cum conditione posita in hypothesi, siue, prout illi subest, vt sic, præscindendo ab omni huius in illud tum influxu, tum connexionem. Causalis autem appellatur, quā enunciatur conditionatum, vt subest conditioni posita in hypothesi innuendo tacite conditionem in conditionatum aliquem influxum habere sub hypothesi datā. Illatiua denique vocatur, quā enunciatur conditionatum vt subest conditioni posita in hypothesi, innuendo etiam tacite conditionem cum conditionato sub hypothesi datā connexionem aliquam habere. Vnde patet primò, omnem propositionem conditionatam sensum coniunctiuum, eumque præcipuum, & expressum habere. Causalem verò supra illum tacite addere sensum causalem. Pariterque illatiua sensum illatiuum. Secundo patet, conditionalem purè coniunctiuam veram esse, eo ipso, quòd verè sit conditionatum ex hypothese conditionis, vt planè potest, etiam si conditio neque influat in conditionatum, neque cum eo connexa sit. Causalis tamen, vt vera sit, duorequitur: &, quòd verè sit conditionatum ex hypothese conditionis, & quòd conditio in illud influat aliquo modo conducendo ad illius esse. Pariterque illatiua duo ad suam veritatem requirit: Et, quòd verè sit conditionatum ex hypothese conditionis, &, quòd conditio cum illo ita connexa sit, vt sine illo esse non possit. De hac tamen diuisione plura dicemus aliàs in tractat. de scientiâ Dei. Porro, conditionalis illatiua, vt potè, quæ assimilatur discursui, tot modis diuidenda venit, quot ipse discursus, cuius differentia innumeræ prope modum sunt, vt constat ex diuisionibus eius factis ibidem diuisione septima, faciendisque infra disputatione vigesima. Qualiter etiam est diuisibilis propositio complexa rationalis, quæ argumentatio, siue discursus formalis est.

7 Propositio autem categorica simplex communiter diuiditur à Logicis in vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem. Vniuersalis dicitur, cuius subiectum est commune signo vniuersali, siue distributio affectum, vt: *Omnis homo ambulat: Nullus homo legit.* Particularis, cuius subiectum est commune signo particulari, seu vago affectum, vt: *Quidam homo currit: Aliquis homo non legit.* Indefinita, cuius subiectum est commune nullo signo affectum, vt: *Homo est animal: Homo non legit.* Singularis, cuius subiectum est singulare, vt: *Socrates dicit, vel commune pronomine demonstratio affectum, vt: Hic homo non loquitur.* Quibus addi posset collectiua, cuius subiectum commune copulatè, siue collectiue supponitur, *Omnes Apostoli sunt duodecim.* Hæc tamen ad singularem reducitur: quia de singulari quodam aggregato sumpto in diuisum, & determinatè prædicat aliquid. Ad denda etiam fortasse alicui videbitur propositio

Pharus Scientiarum, Tom. 11.

de subiecto confuso confusione indeterminatio-
nis ex parte rei, vt: *Aliquis oculus est necessarius ad videndum*, iuxta dicta disputatione decima octaua, quæstione tertia, sed hæc inter categoricas simplices censenda non est: quia æquivalenter est complexa ex duabus, aut pluribus hypotheticis, quibus de singulis extremis subiecti disiuncti, seu vagi determinatè dicitur prædicatum sub conditione defectus aliorum. Hoc pacto, *Dexter oculus est necessarius ad videndum, si non sit sinister; & sinister, si non dexter*, prout constat ex doctrinâ traditâ supra disputatione decima, quæstione secunda. Propositio autem indefinita talis non est, neque esse potest re verâ, & quoad sensum, iuxta doctrinam traditam supra disputatione secunda, quæstione secunda diuisioni decima, & quæstione tertia, conclusa, quarto; atque etiam iuxta dicta de termino indefinito disputat. decima octaua, quæstione secunda, diuis. quinta. Quocirca, dicitur à Logicis, quando est in materiâ necessariâ, aut remota, æquiualeat vniuersali; Particulari autem, quando est in materiâ contingente. Vnde, solum venit dicenda indefinita, vel quia ex modo significandi est indifferens, vt pro vnâ, vel pro alterâ vsurpetur, vel quia pro subiecto habet terminum ex præciso suo modo significandi indefinitum, prout *disputat. 18. quæst. 2. dicta diuis. 5.* explicuimus. Ex quibus concluditur, omnem propositionem simplicem categoricam ad vniuersalem, particularem, & singularem reuocari. In quæ etiam membra venit pariter diuidenda simplex propositio hypothetica. Appello autem semperque appellabo deinceps, vt Logicis morem geram, particularem, quæ de subiecto vago est, tametsi ea potiori iure vaga dicenda esset.

Vnaquæque tamen harum trium in plura insuper membra diuidenda est, quicquid Logici prætermiserint. Quia vnaquæque aut potest esse de prædicato singulari, aut de prædicato communi. Quod si de communi, aut affecto signo distributiuo, eoque, vel affirmatiuo, vt, *omnis*, aut signo particulari, seu vago, vt, *aliquis*, aut nullo: atque ita vnaquæque trium quinque sub se complectitur, suntque proinde omnes 15, quarum qualibet, aut affirmatiua, aut negatiua potest esse, quo sunt 30. Quod si quamlibet rursus diuidas in habentem & non habentem negationem præpositam, erunt omnes 60. Caterum, quia ex his pleræque sunt aliis æquiuales, ad 18. omnino inter se non æquiuales sunt reducenda. Nempe ad vniuersalem, particularem, & singularem affirmatiuas, & negatiuas, easque, aut de prædicato communi, nullo signo immediatè affecto, vt: *Omnis homo est animal: Nullus homo est animal: Aliquis homo est animal: Aliquis homo non est animal: Socrates est animal: Socrates non est animal:* Aut de prædicato communi signo vniuersali *Omnis* immediatè affecto, vt: *Omnis homo est omne animal: Nullus homo est omne animal: Aliquis homo est omne animal: Aliquis homo non est omne animal: Socrates est omne animal: Socrates non est omne animal:* Aut de prædicato singulari, quale erit terminus quiuis singularis, aut communis signo demonstratiuo affectus, vt: *Omnis homo est hoc animal: Nullus homo est hoc animal: Aliquis homo est hoc animal: Aliquis homo non est hoc animal: Socrates est hoc animal: Socrates non est hoc animal.* Imprimis namque nullæ harum 18. sunt æquiuales inter se, vt eas consideranti manifestè apparebit. Deinde reliquarum quamlibet alicui ca-

rum æquivalere facillè ostenditur. Nam iuxta doctrinam certam tradendam *questione secunda*, quælibet ex 30. de negatione præviâ superaddita per ipsam negationem fit æquivalens suæ contradictoriæ, quæ est una ex aliis 30. ut constat ex adæquatione combinationis. ac divisionis factæ. Atque ideo 30. de negatione præviâ superaddita reiciuntur. Ex reliquis autem 30. quæ supersunt, sex habentes prædicatum commune affectum immediate signo particulari *Aliquis*, aliis sex æquivalent, quæ habent prædicatum commune nullo signo affectum: quia quæ præcedunt prædicatum commune, pro eisdem, & eodem modo faciunt illud supponi, siue illud signo particulari *Aliquis*, siue nullo sit immediate affectum. Ex aliis autem sex de prædicto communi signo univèrsali *Nullus* immediate affecto, tres affirmatiuæ negatiuæ sibi correspondentibus de prædicato communi nullo signo immediate affecto æquivalent: quia *esse nullum animal* e.g. & *non esse animal* in idem recidit, ut constat. Tres autem negatiuæ affirmatiuæ sibi correspondentibus de prædicato communi nullo signo immediate affecto æquivalent: quia in idem etiam recidit *non esse nullum animal*, & *esse aliquid animal*, ut etiam constat. *Esse autem aliquid animal*, & *esse animal* in idem etiam recidunt, iuxta dicta. Reiectis igitur istis 12. supersunt 18. commemoratae.

9 Porro Logici compendij gratiâ univèrsalem affirmatiuam, & negatiuam, particularemque affirmatiuam, & negatiuam de prædicato communi nullo signo immediate affecto quibusdam litteris designant, atque notificant Primam scilicet littera A, secundam E, tertiam I, quartam O, iuxta vulgares illos vericulos: *Afferit A, negat E, sunt univèrsaliter ambo. Asferit I, negat O, sunt particulariter ambo.* Quo eodem pacto nos illas deinceps designabimus, addemusque pro singulari affirmatiuâ de simili prædicato litteram V. & quia pro negatiuâ deest vocalis, eadem V. cum litterâ n. postposita distinctionis gratiâ subseruiet hoc modo Vn. sex autem sequentes de prædicato communi affecto immediate signo distributio *omnis*, per easdem vocales, eodemque ordine designabimus adiecta ante singulas litteras d. Reliquæ autem sex de prædicato singulari per easdem vocales, & eodem ordine adiecta ante singulas litteras t; atque ita pro 18. propositionibus, quo ordine numero octavo, sunt recensitæ, hæc 18. signa compendij causâ ponentur à nobis semper deinceps. A. E. I. O. V. Vn. dA. dE. dI. dO. dV. dVn. tA. tE. tI. tO. tV. tVn. Et hæc de categoricis simplicibus possibilibus inter se non æquivalentibus. Totidem autem omnino sunt possibiles simplices hypotheticæ ipsi correspondentes: quia quicquid affirmatur, aut negatur de quolibet absolute, id ipsum de eodem potest affirmari, aut negari sub aliquâ conditione, siue sub aliquâ factâ hypothesi. Vnde, cum opus fuerit signis aliquibus eas significare per eadem signa categoricarum, quibus correspondent anteposita singulis littera H, quæ hypothesin denotet, significabuntur.

10 Et quoniam propositiones complexæ ex simplicibus componuntur, conficitur, tot esse propositiones complexas possibiles intra unum-

quodque earum genus, quot sunt possibiles collectiones, siue combinationes propositionum simplicium numeratarum. Vnde ex 18. categoricis 262. 125, copulatiuæ componi possunt, totidemque disiunctiæ, &c. quia ex 18. vnitaribus tot collectiones diuersæ confici possunt, iuxta regulas combinationum tradendas *disputatione vigesima nona*, totidemque copulatiuæ, & totidem disiunctiæ, &c. confici possunt ex 18. hypotheticis. Ex mixtione autem utrarumque, nimirum ex 36. penè innumerabilis multitudo complexarum intra unumquodque earum genus confurgit, ut in tabulis tradendis loco citato videri poterit. Quid si ipsorum insuper generum complexarum mixtio efficiatur? Et hæc quidem loquendo de combinationibus absque positione, & repetitione. Si namque prædictæ 18. propositiones cum positione, repetitioneque combinentur, longissimè maiores numeri complexarum ex eis possibilium resultabunt. Imò, si absque termino repetitionis fiant, infinita erit earum multitudo possibilis, iuxta dicenda § 4.

Diuiditur præterea propositio sumpta univèrsè in necessariam, contingentem, & impossibilem penes necessitatem, contingentiam, & impossibilitatem obiecti, siue obiectiuæ, veritatis/enuntiatiæ per illam; atque ita plures hinc diuisiones subire potest, penes diuisiones, quas subeunt obiectum necessarium, contingens, & impossibile, siue obiectiuæ veritatis necessaria, contingens, & impossibilis. De quibus *supra questione undecima*. Et quoniam obiectum propositionis materia, circa quam illa versatur, dicitur esse, ideo quando obiectum est necessarium, propositio dicitur esse in materiâ, seu de materiâ necessariâ: In contingente autem, seu de contingente, quando obiectum est contingens. In remotâ autem, seu de remotâ, quando obiectum est impossibile.

Amplius diuiditur propositio sumpta univèrsè, in essentialiam, in quâ prædicatum est de essentiâ subiecti: & accidentaliam, in quâ prædicatum accidentale subiecto est, siue ipsi aliquid adiciens. Quarum vnaquæque in multas rursus species diuidi potest, iuxta diuisiones prædicatorum essentialium, & accidentalium factas *supra disputatione decima septima* quæ ad remvidenda.

Diuidi etiam solet propositio in directam, & indirectam. Prima dicitur, quæ prædicat actum, siue eius concretum de subiecto, ut *Petrus currit: Petrus est currens*, aut partem de toto, ut: *Homo est animal: Homo est corporeus*. Indirecta verò, quæ vice versâ prædicat subiectum de concreto, aut totum de parte, ut *currens est Petrus: Animal est homo: Corporeus est homo*. Cuius nomenclaturæ ratio est: quia primus modus iudicandi nobis connaturalis; secundus quasi præternaturalis est. Mitto aliam diuisionem propositionis, quâ aliqui eam diuidunt in identicam, & formalem: quia hæc diuisio potius sensuum, in quibus propositiones sumi possunt, quàm ipsarum propositionum diuisio est. De quâ nos satis diximus *supra disputatione secunda, questione quarta, sect. 4.*

Denique

14 Denique, propositio simplex in modalem, & non modalem, quam de *inse* vocant, diuidi solet. Modalis est, quæ præ se fert modum, quo prædicatum subiecto conuenit, ipsive inest, aut non inest, vt: *Petrus necessario est homo: Ioannes possibiliter currit: Paulus contingenter non loquitur.* De *inse* autem est, quæ nullum huiusmodi modum præ se fert; sed dumtaxat enuntiat prædicatum inesse, aut non inesse subiecto, vt: *Petrus est homo: Ioannes currit: Paulus non loquitur.* Sunt autem apud logicos celebres quatuor modi constituentes propositiones, quas speciatim vocant modales, de quibusque speciatim differunt, ob idque modi dialectici dici solent, qui quidem, aut per hæc aduerbia *possibiliter*, *impossibiliter*, *necessario*, *contingenter*; aut per hæc nomina *possibile*, *impossibile*, *nece*, *contingens* significari solent. Potest enim quouis eorum componere propositionem modalem aut aduerbiallyter, quo casu est syncategorema prædicati, vt: *Petrus possibiliter loquitur: Paulus necessario est homo*, &c. aut nominaliter, quo casu, aut potest poni ex parte subiecti, vt: *Possibile est Petrum loqui: Necessè est Paulum esse hominem*; aut ex parte prædicati, vt: *Petrum loqui est possibile: Paulum esse hominem est nece*. Oratio autem infinitiui, ex quâ, & ex modo coalescit propositio modalis, dictum nuncupatur, compositaque subindè ex, modo, & dicto dicitur esse; atque ita vnaquæque quatuor propositionum modalium ex quatuor prædictis modis, sumptis nominaliter, resultantium, in quatuor membra penes affirmationem, & negationem diuidenda venit. Potest enim in eâ aut affirmari *modus*, & dictum, vt: *Possibile est Petrum loqui*; aut negari *modus*, & dictum, vt: *Non est possibile Petrum non loqui*; aut affirmari *modus*, & negari dictum, vt: *Cosibile est Petrum non loqui*; aut negari *modus*, & affirmari dictum, vt: *Non est possibile Petrum loqui*. Proindeque, ex hac diuisione sexdecim modales resultant. Quorum qualibet rursus in alias quatuor diuidi solet, quo crescut vsque ad 64. quatenus qualibet potest habere dictum aut vniuersale, aut particulare, aut indefinitum, aut singulare, iuxta similem diuisionem propositionis simplicis categoricæ, quæ fieri solet à Logicis, vt vidimus *numer. septimo*, iuxta diuisionem verò eiusdem factam à nobis *numer. octauo*, qualibet ex dictis sexdecim modalibus de dicto affirmato in nouem alias diuidenda venit, & in totidem qualibet de dicto negato: quia propositiones simplices categoricæ à nobis ibi numeratæ 18 sunt, 9 affirmatiuæ, & 9 negatiuæ.

15 Cæterum: quia quilibet prædictorum *modorum* de obiecto cuiusvis propositionis categoricæ, siue hypotheticæ, siue simplicis, siue compositæ enuntiabile est, cuiuslibet eorum modalis in tot præterea membra diuidi potest, quot sunt propositiones possibles non modales, iuxta omnes earum diuisiones hæcenus factas: quo in immensum penè augetur eiusmodi modalium numerus. Itaque, modalis cuiuslibet prædictorum modorum aut potest esse de dicto categorico, aut de hypothetico, aut de simplici, aut de complexo, aut de copulatiuo, aut disiunctiuo, aut de causali, &c. eoque tot subeunte differentias, quot sunt eiusmodi propositionum non modalium species, siue membra di-

Pharus Scientiarum, Tom. II.

uerfa, facto discursu per omnes diuisiones earum huc vsque datas. Adde, ex modalibus, aut solis, aut mixtis cum non modalibus omni earum combinatione factâ, innumeras alias propositiones complexas coalescere posse. Aduerto autem hæc, claritatis gratiâ, etsi propositiones non modales, vt condistinctæ à modalibus appellantur de *inse*; Quoties tamen de quouis propositionum genere absolute, & sine addito *modalis* fit sermo, hunc semper de non modalis venire intelligendum.

Omnes autem diuisiones, quas hæcenus fecimus circa propositionem formalem vniuersè sumptam, circa obiectiuam pariter fieri possunt, factæque sunt: quia vnaquæque propositio obiectiuam eandem ac formalem, quam terminat, participat nomenclaturam.

Vtrum verò prædictarum diuisionum membra diuidentia omnia, vel aliqua specie diuerfa sint inter se, quod à multis hic controuertitur. Ego vno verbo resoluo dicens; eas omnes propositiones, quæ ex modo tendendi in sua obiecta intrinsecè sunt inter se dissimiles, intrinsecè quoque esse inter se specie diuerfas; ex diuersitate tamen obiectorum præcise intrinsecam diuersitatem nequaquam sortiri, iuxta doctrinam vniuersalem de similitudine, ac dissimilitudine actuum traditam *disputat. decimasexta*, Propositiones quippe ex conceptu suo quidam actus sunt ad sua obiecta terminati, vt est notum.

Aduerto ad extremum huius quæstionis, materiam propositionis dici ab aliquibus subiectum, & prædicatum eius; formam autem vtriusque copulam. Aliqui verò solum subiectum dicunt materiam, & prædicatum formam. Qui aptius mihi videntur loqui, maximè, cum verbum, quod alij copulam appellant, aut vnicum, aut potissimum prædicatum sit. Ratio autem huius loquutionis est: quia subiectum, & prædicatum ita se videntur habere in logicis, sicut se habent in Physicis subiectum, & forma. Hæc verò dicta sunt de materia ex quâ. Materiam enim circa quam propositionis formalis esse propositionem obiectiuam nemini dubium est.

Iam verò quantitas propositionis ea dicitur, quæ eam ad plura extendit obiecta, vel ad pauciora restringit; faciendo videlicet eam aut vniuersalem, aut particularem, au singularem. Qualitas autem propositionis dicitur veritas, aut falsitas eius. Vtrum autem affirmatio, aut negatio, à quâ propositio est aut affirmatiua, aut negatiua, qualitas propositionis, aut potius differentia essentialis eius dicenda sit, controuersum est inter Logicos, quibusdam asserentibus primum, quibusdam verò secundum. Quicquid sentiunt, & loquuntur.

K 3 QVÆST